

si fuerat *Arnoldus*, aut legat curatè aut expendat. Sed verò id si facere non possit, à temerario iudicio, quod ex historia ignorantia non cœcum & iniquum esse non potest, temperare sibi debet. Quod verò colloqvii historiam haud legerit *Arnoldus*, id iudicio est, quod principes in colloqvendo personas ignoret & Zehendero, Jacobi concionatori Aulico, qui cum Pappo congressus est, substituat Hænlinum, Rectorem & Professorem Friburgensem. Qui ex viciniâ advocatus à Marchione fuerat, non ut eandem disputationis aleam subiret, quod & dicente Principe recusaverat, sed ut de sententiâ Romanæ Ecclesiæ, sicubi opus foret, eamque Lutherani in dubium vocarent, testimonium redderet. En ipsa Principis verba: *Heri Rectorem Friburgensem rogavi, velie huic colloqvio adesse, non ut disputet, dessen Er sich auch beschwehret,* (conscientiâ ne infirmitatis, an desperatione causæ, incertum) *Sed propterea, quia nuper in quodam loco nobis objectum fuit, es seye der Papisten Meinung nicht / was wir Ihnen fürgerorffen; so haben wir Ihn/als einen Papisten/dazu erbeten/dasj nige zu bezeugen.* (3.) Quemadmodum & ipsa Protocolli nuda inspectio id docet Et quamquam nonnunquam interlocutus fuerit Hænlinus, quod rarissimè factum, ex eo tamen tam collocutoris personam sustinuisse dici non potest, ac vel ipse Princeps collocutor non fuit, qui longè frequentius, immò frequentissimè intercessit, vel Nysæus, Ecclesiæ Emmendingensis Superintendens, antea Professor Academiæ Basileensis, vel Casparus Ingeranus, Pastorum Hochbergicorum citra dubium unus, qui & ipsi symbola interdum sua contulerunt. (4.) Quam negligentem igitur oculo historiam colloqvii inspexerit *Arnoldus*, vel hinc liquet. Ex quo clarissimum est, & reliquum de ipso colloqvio iudicium ex cœcâ ignorantia, cum illâ, quæ totius operis Historico-Hæretici primum ultimumque fundamentum est, præsumptione, ac si nihil rectè unquam post unum alterumque à cœptâ reformatione annum intra Ecclesiam Lutheranam à Theologis actum fuerit atque adeò necessario ad novi & Luthero longè doctioris meliorisque reformatoris, *Arnoldi*, religionem, quippe nulli sectæ obnoxiam, ab omni carnali

C

sapien-

(3.) Vid. Protoc. p. 6. (4.) Vid. Protoc. p. 56. Et Histor. p. 178.